

nomine firmamenti, non erat necesse in ipso opere creationis nominare. Ignis etiam, qui est ad concavum lunæ (si sibi est) nulli alteri servit, nisi sibi, nihil sustentat, nulli commodum locum præstat, nullo extrinseco ornatur, omnia sibi adjuncta consumit, et devorat. Unde non oportuit, computari in constructione universi, ubi omnia maxime sibi confœderata, et unita narrat Scriptura, ipsaque accommoda, et proficua aliis. Et sic magis Scriptura facit mentionem de igne pro inferno, tamquam de instrumento divinæ justitiæ devorante impios, quam in concavo lunæ, et prope cælum. De sphaeris autem cœlestibus in speciali non erat necesse facere mentionem, sed solum cœli in genere, quia nec in aliis rebus sit specialis mentio specierum, sed generum, ut herbarum, et lignorum, volatilium, et piseium, jumentorum, bestiarum, et reptilium, etc. De Angelorum productione etiam non oportebat agere, quia valde remota est a nostris sensibus, non agitur autem in præsentibus nisi de his, quæ humano, et sensibili modo in nostram cognitionem veniunt circa hujus universi formationem. Quod attinet ad illud verbum in principio, etc. licet multi intelligant de principio, id est, Filio, in quo universa sunt condita, tamen magis usuale videtur intelligere in principio temporis, quia hic traditur articulus creatoris, in quo credimus Deum esse creatorem omnium in tempore, quia per ipsum facta sunt sæcula, id est, tempora. Intelligitur autem esse principium temporis extrinsecum, id est, instans. Non requiritur autem, quod omne instans sit mutatum esse, sed solum instans terminativum, aut continuativum motus, quia supponit motum ante se, et sic mutatum; instans autem pure iniciativum non est mutatum esse, sed principium mutatio-

nis. Fuit autem motus immediate post, quia cælum etsi nondum habebat lucem, non est tamen inconveniens, sed necessarium quod habuerit motum diurnum ante lucem, eo quod fuit aliquod tempus in quo cælum fuit sine luce ut ex aliis sanctis, qui contra Augustinum sentiunt hos dies esse naturales, sentit D. Thomas hac quæstione LXXIV, articulo II, in fine corporis. Tempus autem non est sine motu, quia est numerus motus. Et motus diurnus juxta D. Thomam incepit ante quartum diem ut supra quæstione LXVII et LXX diximus. Et ille motus ante lucem potest vocari vespera generali vocabulo, quo vespera ponitur pro defectu lucis cum motu saltem ad lucem; licet proprie vesper apud nos aliquid lucis in actu habeat.

XXII. Secundo inquirens: Quomodo dicatur spiritus Domini ferri super aquas? Respondetur aliquos sumere ibi spiritum pro vento, quam opinionem non admittit D. Thomas hic articulo III ad IV, propter auctoritatem sanctorum in contra. Sed præter hoc succurrit ratio, quia tunc naturaliter non poterant esse venti, sed nimis præternaturaliter, eo quod tunc non elevabantur exhalationes, erat enim terra operta aquis, et aquæ ipsæ nondum falsæ erant, ut exhalationes siccæ ex se possent emittere, e quibus generantur venti, nec erat sol, aut sidera cum luce, et calore ut possent illas elevare, quia spiritus ille ferebatur super aquas ante productam lucem; et sic nondum erant causæ naturales quibus generari possent venti, et præterea aqua illa tunc operiens terram erat ita alta, quod transcendebat secundam regionem aeris si quidem nondum erat factum firmamentum in medio aquarum quod fuit sequenti die. Super ipsam autem secundam aeris regionem non fiunt venti, quia suprema illa pars

aeris est valde tenuis propter vicinitatem ignis, nec exhalationes illæ siccæ eo perveniunt, ita ut ab aliquo superiori repellente inde retorquantur sicut requiritur ad vehementiam ventorum, qui fiunt ab exhalationibus repulsis a secunda aeris regione ejusque frigore. Et sic in aere ita attenuato, et sine exhalationibus sicut est pars illa superior aeris, non sunt venti, idque narratur ex ipsa experientia constare, quia in vertice montis olympi, qui nubes excedit, nulli venti sentiuntur, ita ut si ibi in pulvere litteræ scribantur, eodem modo reperiuntur etiam post unum annum. Non ergo tunc naturaliter poterant esse venti super illas aquas. Nec obstat, quod etiam tempore diluvii aquæ elevatae sunt super omnes montes, et consequenter supra secundam regionem aeris, et tamen fuit ventus, quia dicitur cap. VIII: *Quod adduxit Dominus spiritum super terram et imminuta sunt aqua.* Respondetur enim quod etiam si in hoc casu præternaturaliter hunc ventum fuisse adductum, nullum esset inconveniens, sicut et ipsum diluvium præternaturale fuit. Est tamen inconveniens, præternaturales operationes ponere in ipsa prima rerum institutione. Secundo, minus præternaturaliter ventus ponitur post diluvium, quia erat materia unde elevarentur exhalationes siccæ, scilicet mare, et aqua salsa, et causa efficiens hujus elevationis, scilicet sol, et sidera. Tertio, non constat hunc spiritum, seu ventum esse adductum a Deo antequam aquæ essent imminuta et terra inciperet apparere, videtur enim ille ventus magis ordinari ad exsiccandam terram, quam ad diminuendas aquas, et licet prius dicatur Deum adduxisse spiritum, quam aquas esse imminutas, non tamen est necesse eo ordine contigisse, sed ponitur per quamdam anticipatio-

nem illa adductio spiritus, sicut etiam dicitur: *Quod imminuta sunt aqua, et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli, et prohibita sunt pluvia de cœlo;* et tamen prius fuit prohibitio pluviae, quam imminutio aquarum. Unde non dicitur absolute, quod Deus adduxit spiritum, seu ventum, sed quod adduxit illum super terram, non ergo super aquas obstinentes terram, et secundam regionem aeris, sed super terram jam discoopertam.

XXIII. Quare spiritus ille, qui ferebatur super aquas est Spiritus divinus, et substantia spiritualis, non autem spiritus creatus, seu Angelus, quia non apparet ad quid Angelus ferretur super aquas, si quidem effectus ex aqua faciendi non procedebant ab Angelo, nec poterant, sed a Deo, ut supra ostensum est, sicut congregatio aquarum in unum, productio piscium, et avium ex aqua, et aqua, et similia. Si vero dicatur illum spiritum, qui ferebatur super aquas esse Angelum, qui movebat cælum, et exinde causabat effectus aliquos in aqua, hoc est valde generale pro omnibus effectibus, qui a cœlo, et ab intelligentia movente fiunt in his inferioribus, non solum in aqua, sed etiam in aliis elementis, nec solum specialiter illa die, sed etiam nunc. Unde ratione hujus valde improprie diceretur illum spiritum ferri super aquas, cum solum esset in cœlo, et posset similiter dici ferri super aerem, aut terram, quia ad omnia hæc influentiæ cœli derivantur.

XXIV. Dicitur ergo Spiritus Domini ferri super aquas, intelligendo per spiritum vivacitatem intelligentiæ, amoris, et fortitudinis ad efficiendum ex aquis, et in aquis præcipuas operationes hujus primæ creationis tamquam ex materia; et postea plura mysteria nostræ redemptionis. Unde sicut artifex respi-

ciens materiam, et versans illam, ex qua grande aliquod artificium parat disponere, dicitur toto spiritu super illam versari, et ferri, quia tota attentione, et vivacitate, ita super materiam principalem, quæ post opus creationis servire debebat operibus divinis in hoc mundo inferiori, quæ est aqua, dicitur supremus artifex ferri, non motu passivo ipsius Dei, sed motione, et dispositione activa artificis, tum ex parte intellectus per spiritum sapientiæ, et per ideam artis, quæ pertinet ad spiritum intelligentiæ, et ad verbum mentis, juxta quod dicitur ad Hebr. XI: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*; et specialiter de aqua Ecclesiastici XXXIX: *In verbo ejus stetit aqua quasi congeries, et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum.* Ubi ly verbum pertinet ad intelligentiam mentis: sermo oris ad dictum et imperium. Tum secundo intelligitur spiritus Domini, spiritus amoris, et affectus, qua ratione appropriatur Spiritui Sancto, eo quod artifex ex amore, quo tendit in sum artefactum, seu opus, disponit ejus materiam eamque fovet et aptat. Dicitur tamen spiritus, seu amor Dei ferri super aquas, quia non ex indigentia, et necessitate quasi materiæ subjectus, sed super eam excellens, talem materiam disponebat. Tum tertio, spiritus Domini intelligitur ejus fortitudo (sicut homines fortes, magni spiritus vocamus) quæ tot, et tam magna opera ex aqua disponebat facere, hæc enim attribuntur fortitudini divinæ, sicut dicitur Job XXVI: *In fortitudine ejus repente maria congregata sunt.* Hæc omnia recte significantur nomine spiritus. Super aquas autem potius, quam super aliam materiam ferri dicitur, quia ut dictum est, aqua erat principalis materia, ex qua opera Dei erant facienda in hoc mundo

inferiori, ut secunda die firmamentum in medio aquarum, tertia die congregatio aquarum in unum, quinta die pisces et aves ex aqua, sexta die hominem ex luto, ex aqua et terra.

XXV. Tertio inquires: Quomodo D. Thomas in hoc articulo III, solutione ad VI, dicit, quod dies dicitur componi ex vespere, et mane, et prius ponitur vespera, quia cum a luce dies incœperit, prius occurrit terminus lucis, qui est vespere, quam terminus tenebrarum, qui est mane. Quod non stat cum eo, quod nos supra diximus dies primum incœpisse a tenebris, et post sex horas ortum esse mane, seu lucem, illasque tenebras loco vespere posse sumi in largiori significatione. Respondetur quod D. Thomas loquitur de die artificiali, qui incipit a luce, ejus terminus est vespere. Et dicitur prius occurrere, quia licet prius sit mane quam vespere, in ipso tamen die artificiali incepto, qui supponitur a luce incipere, id quod occurrit non est jam ipsum mane, sed terminus ejus. At vero nos locuti sumus de die naturali, qui incipit communi nostra computatione a media nocte non ab ortu lucis, seu solis, et in hoc secuti sumus ipsum D. Thomam qui fatetur cum aliis sanctis præter Augustinum fuisse aliquod tempus in quo non erat lux, in hac quæstione articulo II, in fine corporis. Si autem fuit aliquod tempus in quo non erat lux, ergo tempus naturale illius diei non incœpit a mane, sed a tenebris ante lucem.

XXVI. Quarto inquires: Quæ sit ratio, quare in operibus aliquorum dierum ponendo quod Deus dixit hoc vel illud fieri, et quod factum est, iterum additur: *Et fecit Deus*, v. g. bestias et jumenta: *Fecitque Deus duo luminaria*, etc. Respondetur congruentissime hoc poni, quia cum dicitur: *Factum est ita*, ostenditur

effectus statim subsecutus ad imperium Dei. Cum vero additur: *Et fecit Deus*, etc., ostenditur modus faciendi, quod non ita Deus imperat, ut creaturæ sine ipso Deo efficiant, ita quod tota executionis virtus et efficientia a creatura sit, licet imperium a Deo; sed Deus ita imperat extrinsece, quod etiam facit, et concurrat intrinsece, et physice cum creatura exequente, nec sufficit ipsa sola, aut Angelus, aut alia vis creata sine Deo intus operante etiam ipsam executionem.

XXVII. Quinto inquires: Quare dicitur primus dies unus dies: *Factumque est vespere, et mane dies unus*, et non dicitur primus, cum reliqui etiam unus dies sint? Respondetur facile ab hac quæstione se expedire, qui intelligunt in Scriptura idem esse unam diem, et primam diem, sicut cum dicitur: *Una sabbati* Joan. XX, Actorum XX, I ad Corinth. XVI, idem est quod prima sabbati, id est, prima die post sabbatum, quæ est dies dominica. Nam similiter dicere poterunt dici unum diem esse factum, id est, primum diem. Sed quia hoc non est ita certum quoties ponitur una dies, sed idem videtur valere una dies, quod quidam dies, ut I Regum XIV: *Et accidit quadam die, ut diceret Jonathas*, etc. Lucæ VI: *Factum est in una dierum*, ideo melius respondemus cum Basilio homilia II hexameron, et D. Thomas hic articulo III ad VII, diem primum vocari unum, vel ad designandum quod toto spatio viginti quatuor horarum non efficitur nisi unus dies, vel quia dies consummatur per reditum solis ad unum, et idem punctum; vel quia completo septenario, reditur ad primum diem qui est unus. Quæ omnes rationes resumuntur in hoc, quod primus dies dicitur unus, quia unitas diei sumitur ab illo primo ut exemplari, quia reliqui dies in tantum habent unita-

tem diei, in quantum id quod habuit illa prima dies, scilicet spatium viginti quatuor horarum, et redire solem ad idem punctum, etc. Et sic per principalitatem, et antonomasiam ille primus dies dicitur unus.

XXVIII. Sexto inquires, an mundus fuerit productus verno an æstivo, vel autumnali tempore, quo mense, quo die. Respondetur quod incipiendo a die certum est primum diem creationis correspondere diei dominico. Constat, quia septimus dies fuit sabbatum, ergo primus debuit esse dominicus. Quod et Ecclesia agnoscit in hymno, cum dicit de die dominica:

Primo dierum omnium
Quo mundus extat conditus:
Vel quo resurgens conditor
Nos morte victa liberat.

De mense vix potest certo, et fundamentaliter definiri. Nam etsi omnes communiter conveniant, quod mundus formatus est in aliquo æquinoctiorum, ita quod primus dies æqualis fuit in luce et in nocte, nec tunc adhuc incœperat diversa temperies frigoris, caloris, veris, autumnii, etc. sicut cœpit a die quarta; tamen an istud æquinoctium fuerit vernale, vel autumnale, auctores variant inter se, inspectis solum extrinsecis rationibus. Quidam enim attendunt in tempore verno amœnitatem, et temperiem illius, et quod sit renascentis anni principium, quod utique maxime congruit illi tempori, quo non solum mundus renascitur quotannis, sed quo primo simpliciter natus, et factus est. Quidam vero attendentes ad maturitatem fructuum, quibus necessario debebant arbores ornari quando primo productæ sunt, ut homines, et animalia haberent ad vescendum, nam et in paradiso arbores fructum habebant, ut constat ex Scriptura, dicunt in æquinoctio autumnali,

quando fructus sunt maturi, productas esse arbores, et consequenter totum mundum. Quod si in vere productæ sunt cum floribus, ut sequenti autumno maturescerent, oportuit etiam cum aliquibus fructibus produci ad escas animalium, et hominum pro illo tempore, quod est magis præternaturale, ut scilicet simul cum floribus, et fructibus producantur arbores.

XXIX. Si tamen per intrinsecas, et indubitatas rationes deberemus procedere, optime id fieret, si possemus fixe, et determinate annos creationis usque ad Christi adventum statuere; hoc enim si fiat, retrocedendo ab illo anno usque ad primum, illud æquinoctium assignabimus in quo invenietur fuisse tale æquinoctium in die dominica, cum enim constet ex Scriptura, primum creationis diem fuisse dominicum, si æquinoctium autumnale consisterit die dominico accidisse in illa annorum retrocessione, illud assignabimus pro tempore creationis mundi, si vernale fuerit in die dominico, illud erit. Hoc autem valde laboriosum est, et dependet ex fixa determinatione anni, quo natus est Christus, quod individualiter vix certis fundamentis determinari potest, et si unus solum annus erretur, tota computatio concidet. Provenit autem ista difficultas, et fixa determinatio annorum usque ad Christi adventum, tum ex ipsa serie annorum, quæ textitur, et sumitur ex Scriptura, quæ mille interpretationibus, opinionibus, variisque lectionibus subjecta est: tum ex illo tempore ubi Scriptura omittit filum, et seriem annorum, scilicet ab anno primo Cyri regis 1 Esdræ 1, ubi soluta est captivitas septuaginta annorum, et fuit primus annus Cyri non absolute ex quo cœpit esse rex in Persia, et Media, sed ex quo cœpit esse monarcha capta Babylonia, et

destructo regno Chaldæorum, nec enim ante poterat solvi captivitas Judæorum, qui in Babyloniam ducti sunt, nec ante potuit vere dicere Cyrus: *Omnia regna terræ tradidit mihi Deus cæli*, ut habetur 1 Esdræ 1. Iste autem primus annus Cyri in Babylonia non constat certo in historiis profanis qua olympiade fuerit, ut exinde duci possimus determinate ad olympiadem qua natus est Christus, et sic annos illos conjungere cum annis in Scriptura seriatim deductis usque ad primum Cyri in Babylonia. Nam exinde Scriptura usque ad annos regni Græcorum in Macchabæis nihil de serie annorum tractat, nec ab anno 177 regni Græcorum, ubi finitur historia libri Macchabæorum, et totius veteris testamenti in morte Simonis, scilicet centum triginta tribus, vel quatuor annis ante natum Christum nullam seriem annorum textit. Quare cum series, et textura annorum per certitudinem non ostendat nobis annum individualem usque ad natum Christum, non possumus retrocessionem istam punctualiter facere, ita ut in illa retrocessione annorum videamus quodnam æquinoctium ex istis pro anno creationis fuit celebratum in die dominica, nam quocumque anno mutato, mutatur illa computatio, et assumitur alius annus, cujus æquinoctium non sit dies dominica. Ab hujusmodi ergo computatione supersedemus. Certe si Deus, quando populo suo de terra Ægypti recedenti præcepit ut a martio, seu a Nisan, qui est primus mensis æquinoctii vernalis, inciperent menses numerare Exodi XII, aliquid novi præcepit, quod adhuc antea non erat in usu (quod videtur valde verisimile, alias frustra illud mandatum imponeret de novo, si jam erat in usu) sine dubio magnum argumentum fit, quod mundus non fuit creatus in illo vernali æquinoe-

tio, sed in autumnali, quia non videtur alius modus computandi, et incipiendi principium anni fuisse usque ad illud tempus in populo Dei, nisi qui habebatur per traditionem ab initio creationis mundi.

XXX. Illud solum admoverim, quod æquinoctium vernale in illo primo tempore creationis celebrabatur mense aprili, non martio; et autumnale, mense octobri, non septembri. Ratio est, quia juxta regulas astronomicas, sol quatuor millibus annorum retrocedit in æquinoctiis triginta diebus, seu uno mense; unde et nostris temporibus propter retrocessionem æquinoctii, necesse fuit amputare decem dies, ut

fixe posset stare in 21 martii, et septembris. At circa tempora Christi Domini quinquaginta annis plus vel minus, æquinoctium erat 26 septembris, ut constat ex reformatione illis temporibus recenter facta a Julio Cæsare, id est, anno 45, ante Christum natum, ergo necesse est quod in tempore creationis mundi æquinoctium autumnale esset 26 octobris, quia post quatuor mille annos retrocesserat uno mense ad septembrem. Et idem proportionaliter de vernali æquinoctio dicendum est. Et hæc sufficiant pro hac brevi et scholastica explicatione hujus operis sex dierum.